

veracior in sententiis, et clarior in verbis, ut ait Isidorus libro primo de officiis, cap. XII, et S. Augustinus II de doctrina christiana, cap. XXV, licet verum sit quod aliquæ ejus partes seorsum sumptæ elegantius, aut clarius possent transferri; quod tamen nihil officit ejus auctoritati, quæ in fidelitate translationis posita est.

LII. Quia tamen multi urgent dissensionem esse in multis inter nostram vulgatam, et originalia, a quibus translata est, et non solum ab originalibus, quæ nunc extant, sed etiam ab originalibus antiquis, ut constat ex diversa lectione, quam habet in aliquibus ipse Hieronymus et patres illius temporis præsertim in translatione psalmorum juxta Hebraicam veritatem, quæ multo aliter est in Hieronymo, quam apud nos, et in illo loco Genesis III: *Ipsa conteret caput tuum*, in omnibus enim Hebraicis originalibus habetur: *Ipsum, seu ipse conteret, etc.* et Numer. ultimo: *Omnes femine accipiant maritos de tribu sua*, Hebræo habetur: *Omnes femine, seu filie, quæ hæreditatem accipiunt*, ubi restrictio fit solum ad hæreditantes: et Genes. VI: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum*, habetur in Hebræo etiam antiquo, et tempore Hieronymi: *Non judicabit spiritus meus hominem in sempiternum, etc.*

LIII. Respondetur differentiam nostræ vulgatæ, aut posse esse cum originali Hebræo, quod nunc habemus, aut cum eo a quo translata est. Et quidem cum eo, quod nunc habemus, non ita curandum est, potius enim vulgatæ assentiendum est quam illi (ut supra diximus) propter majorem approbationem vulgatæ in Ecclesia, quam textus Hebraici, licet verum sit quod differentie istæ, et dissensiones paucissimæ sunt, et studiosis Scripturæ notissi-

mæ, ut Augustinus dixit XI contra Faustum, cap. II, et fere reducibiles ad eundem sensum; nonnunquam enim id quod una translatio dicit uno modo, alia per circumloquium diverso modo significat, eandem tamen veritatem habet, et sensum, si quando tamen reducibiles non sunt ad eundem sensum, sed potius pugnant, standum est vulgatæ, magis quam textu Hebraico, quem modo habemus, propter approbationem vulgatæ, quæ approbatio ex consequenti indicat ex emendatiori libro esse translata, et consequenter istum textum Hebraicum, quem modo habemus esse inferiorem illo, ex quo vulgata est desumpta. Si autem differentia sit cum originalibus Hebraicis antiquis, adhuc distinguendum est, quia etiam antiquitus non erat unum solum exemplar, sed multi, et diversi codices, quorum alii erant emendatiores, alii minus, unde existimandum est, quod si vulgata nostra dissentit aliquando ab exemplaribus Hebraicis antiquis, dissentit ab illis minus emendatis, qui in aliorum manibus versabantur: illud autem ex quo translata est, cæteris fuisse emendationem, ut ex approbatione tam longi temporis ab Ecclesia constat. Et inde est quod cum multi ex patribus antiquis, et etiam Hieronymus non semper usi fuerint editionibus emendatioribus, sed secundum quod ad manum codicem habebant, et ita contingit in multis dissentire; cæterum respectu codicis Hebraici, unde facta est translatio, semper emendatior fuit cæteris Hebraicis, et id Ecclesia tamquam emendatius approbavit, quod de facto secuta est, præsertim quia non uni soli editioni Hebræicæ adhæsit, sed pluribus consulit, ut veritas elucesceret, et ex duabus translationibus veteri et nova, unam fecit, in eaque facienda certiori, et emen-

datori editione sine dubio uteretur: et ideo quia semper præsumitur vulgatam ex emendatioribus codicibus prodiisse; ideo simpliciter in his, quibus editio Hebraica contradicit nostræ vulgatæ, intelligendum in hoc non esse textum Hebraicum omnino emendatum, sed potius illum ex cujus collatione, vel ex cujus translatione editio vulgata facta est, aut in unum coacta. Et ideo quod Hieronymus psalterium juxta Hebraicam veritatem multo aliter habeat, quam nostrum, nihil obstat: nam Ecclesia non in omnibus pure Hieronymus secutus est, sed etiam ex septuaginta, aut ex translationibus, illa, quæ magis decursu temporis, et auctoritate antiquorum exemplarium erat in Ecclesia approbata, recepit. Ille autem locus Genes. *Ipsum conteret, vel ipsa conteret* dicendum est, quod sæpe, et facile transmutatur femininum pro masculino in Hebræo, et fortasse in emendatiori libro, unde vulgata ita transtulit, habebatur ipsa, et non ipsum. Et similiter illud: *Non judicabit spiritus meus hominem in sempiternum*, vel non ita habebatur in omnibus codicibus emendatioribus, unde facta est translatio vulgata; vel utraque translatio ad eundem sensum reducitur, quia quamdiu Deus habet aliquid judicare, vel certare, aut litigare cum homine, adhuc cum illo videtur permanere, quousque facto judicio ipsum deserit. Similiter illa verba Numero ultimo non habebantur in codicibus, unde facta est translatio vulgata, et ita non sunt posita, licet in alio originali Hebraico haberentur. Videantur multa alia loca apud Bellarminum in libro II verbo Dei, cap. XII, et Lorca ubi supra.

LIV. Quantum ad secundum, conservatio hujus versionis, et fidelitatis ejus in Ecclesia maxime pendet ex duobus. Primus est, adversus

hæreticos ex approbatione fere omnium sanctorum patrum, et doctorum Ecclesiæ qui per mille, et amplius annos continua approbatione ipsam translationem secuti sunt: nec enim credibile est tales, ac tantos viros tam longo temporum decursu, etiam in Conciliis generalibus et tota Ecclesia annuente, deceptos fuisse in recipienda hac editione vulgata, et retinenda. Qui autem fuerint isti sancti patres a temporibus Augustini et Hieronymi usque ad nos facile est cognoscere, nam S. Augustinus vulgatam editionem quam appellat Italiam valde laudat II de doctrina christiana, cap. XV, ipsum vero Hieronymum qui eam emendavit maxime commendat XVIII de civitate, cap. XLIII: item S. Gregorius papa XX moralium, cap. XXIV, approbat illam vulgatam editionem: et S. Isidorus, libro VI etymologiarum, cap. V. Post ipsos quotquot secuti sunt patres in suis libris utuntur hac vulgata, Remigius, Beda, Rabanus, Anselmus, Petrus Damianus, Bernardus, Hugo, Rupertus, S. Thomas Bonaventura, etc. quod longum esset numerare, quibus omnibus potius credendum esse, quam hæreticis, quis dubitat.

LV. Secundo, ad conservandum hanc editionem vulgatam contra scribentium, et notariorum negligentiam, ignorantiam, aut hominum malitiam utitur Ecclesia codicibus antiquis, qui passim in diversis Ecclesiis servantur, ut ex eorum collatione emendare possit ea, quæ falso transcribuntur, et quando dubium adhuc est recurrit ad exemplaria Hebraica, aut Græca, ut cum ipsis etiam conferat, ut monet S. Augustinus XI contra Faustum, cap. II, sicut ille versus Psal. XLI: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*, ex collatione cum Hebræo, et Græco emendatum est *Deum fortem vivum*,

quod facile potuit ex negligentia scribentis una littera mutata depravari. Certe magnum studium fuisse in Ecclesia antiquissimos codices conservandi pro puritate Scripturæ emendandæ, testis est cardinalis Ximenes in præfatione ad biblia Complutensia, ubi meminit codices 800 annorum adhuc Gotthicis litteris scripti, quo usus est ad editionem illam Complutensis bibliæ, et hoc pacto dicitur esse in corde Ecclesiæ pura, et legitima Scriptura, quia habet in se principia unde semper possit eam emendare per collationem librorum.

QUAM CERTITUDINEM HABEAT CORRECTIO ISTA FACTA A SIXTO QUINTO, ET CLEMENTE?

LVI. Quoad tertium de certitudine, qua debemus tenere hanc ultimam correctionem factam a Sixto, et Clemente esse legitimam, et puram, respondeo hanc quæstionem non currere de Scriptura prout est in corde Ecclesiæ, in qua sunt sufficientia principia ad emendandum Scripturam, idque de fide est non posse ab omnibus libris Ecclesiæ simul deficere veram, et puram lectionem Scripturæ, alias deficeret fides; sed procedit de Scriptura prout in istis codicibus correctis habetur, qua certitudine debemus tenere ipsos esse emendatiores quam cæteros, et lectionem in illis præfatum aliis esse certiorum. Dicimus ergo, quod in hac correctione Clementis non fuit facta nova editio, aut interpretatio mutata, sed solum a mendis veterum librorum, et pravarum emendationum erroribus repugnatam editionem vulgatam suæ pristinae integritati restituere, ut in præfatione ad ipsa biblia correctæ dicitur. Et cum essent ante

variæ lectiones, ut solebant notari in margine bibliæ, imo in communioribus lectionibus corrigi multa deberent, ideo necesse fuit emendare, non quidem ipsam versionem quoad ejus fidelitatem, sed ea quæ ex scribentium aut aliorum negligentia mendaciter in communioribus lectionibus habebantur. Quorum exempla qui voluerit videre legat annotationes Francisci Lucæ, qui insigniora loca emendata in unum colligit. Facta autem hac correctione, cum lectio ista aliis omnibus sit prælata, existimat magister Lorca ubi supra disp. IX, non esse definitum ab Ecclesia hanc editionem correctam ita esse puram ut in ea nullus sit defectus; esse autem ita certum quod oppositum erit temerarium. Ratio est, quia in bulla Clementis VIII, quæ habetur in editione Romana correctæ non definitur aliquid circa hoc, sed tantum dicit textum vulgatæ editionis restitutum, et quam accuratissime expurgatum in lucem prodire, non tamen expresse definit ipsam expurgationem esse purissimam præ cæteris.

LVII. Nihilominus citra definitionem expressam maximum pondus habet iudicium Ecclesiæ circa hanc correctionem. Quod quidem ita intelligo: Quod si sumatur ista correctæ editio secundum omnia quæ includit, et quasi collective omnibus aliis præponenda est, et qui oppositum faceret plusquam temerarius, et quasi errori proximus haberetur. Qui autem in aliquo particulari, et seorsum aliam lectionem sequeretur non existimo esse aliqua censura dignum. Ratio primæ partis est, quia Ecclesia iudicio suo proponit, etsi non definiat, hanc lectionem tamquam cæteris correctiorem; temerarium autem est quod Ecclesia catholica dicat, etsi non definiat, negare. Item, quia prohibet

pontifex Clemens VIII, in suo brevi citato ne aliæ lectiones in margine apponantur, nec de ipso textu liceat mutare aliquid, aut aliter imprimere: si autem aliæ lectiones in hac vulgata sequi possent tamquam meliores, aut correctiores, hæc prohibitio esset valde inutilis, et impertinens, quia prohiberet posse nos sequi aliquid melius in lectione Scripturæ, quod est omnino temerarium asserere. Ratio secundæ partis est, quia in ipsa præfatione addita ad biblia correctæ expresse dicitur: « Hanc editionem correctam sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, in cæteris omnibus quæ ad hanc usque diem prodierunt emendatorem, purioremque esse minime dubitandum est. » Ubi vides utramque partem nostræ conclusionis fere evidenter insinuari. Nam si non omnibus numeris absoluta affirmari potest hæc correctio, ergo aliquibus numeris non absoluta esse, et consequenter aliquid dubii habere, non erit temerarium asserere.

LVIII. Cæterum si comparemus totam editionem correctam cum aliis lectionibus, minime dubitandum est esse puriorem cæteris, quod saltem collective de tota simul editione intelligi necesse est. Item habemus difficilem lectionem, et vix hucusque solutam in Reg. xv, in illis verbis: *Post quadraginta annos dixit Absalon, ad regem David, etc.* Nec enim est invenire quomodo illi quadraginta anni computari possint ab illo tempore, quo id dicitur de Absalon, cum David solum regnaverit quadraginta annis, atque adeo si Absalon in regnato David dixit, ut constat ex textu dicente: *Post quadraginta annos illud dixit ad David,* non apparet quo tempore vitæ suæ id dixerit. Unde alia lectio habebat post quatuor annos. Et hanc refe-

rens Franciscus Lucas annotatione ad istum locum, dicit illam sua probabilitate non carere: si autem omnes lectiones divisive, et sigillatim essent reprobatae non haberet probabilitatem opposita lectio.

LIX. Sed urgent verba bullæ Clementis, ubi præcipiens vel editio Scripturæ juxta illud exemplar imprimatur, subdit: « Cujus quidem exemplaris forma ne minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta nisi aliquid recurrat quod typographicæ incuriæ manifeste ad scribendum sit inviolabiliter observetur. » Ergo iudicium Ecclesiæ æque cadit super totam correctionem collectivam, et super singulas partes divisive, et prohibitio ejus. Respondetur negando consequentiam, quia pontifex cum præcipit ut forma exemplaris observetur nulla particula mutata, etc. id præcipit respectu impressionis faciendæ; vult enim ut in imprimendis libris Scripturæ nulla particula mutetur, ne si aliæ lectiones passim imprimi possint, etiam in minimis particulis ista correctior lectio iterum vitietur in multis: non tamen præcipit pontifex observari etiam quaecumque minimam particulam, etiam divisive acceptam, quasi cæteris absolute correctiorem, licet prohibeat in textu Scripturæ aliter imprimi, quia vult conservari istam correctionem ut meliorem, licet non definierit omnes particulas etiam divisive esse meliores propter periculum. Et hoc ipso quod solum prohibet ne in textu mutetur aliqua particula, satis indicat prohiberi quod extra textum, et extra bibliam possit haberi, aut imprimi alia lectio vulgatæ circa aliquam particulam, quæ suam probabilitatem retinere possit, juxta id quod dictum est.

LX. Ad rationes dubitandi a principio. Ad primam respondetur Con-

cilium Tridentinum approbasse vulgatam tamquam authenticam quantum ad versionem, et interpretationem, in quo nihil correctum est postea ab Ecclesia, ut dicitur in ipsa præfatione ad biblia correctæ Sixti. Quoad correctionem autem a mendis librariorum, quibus omnes libri subjecti sunt, Concilium nihil determinavit, sed id Ecclesiæ reliquit faciendum. Quod si instes: Ergo si sint plures lectiones circa aliquem locum in particulari, et illæ sint probabiles nec altera reprobata ab Ecclesia, in illo loco non habebimus Scripturam canonicam, et sic in locis innumerabilibus Scripturæ vulgatæ editionis in quibus habetur diversa lectio, sicut videre est in annotationibus Francisci Luca, non habebimus visibilem regulam fidei, quam sequamur determinate cum illæ lectiones diversæ sint, et diversum sensum reddant: ex quo ulterius tota Scriptura periclitatur: unde enim sciam in quocumque loco determinate non esse varias lectiones. Respondet pater Lorca ubi supra disp. ix, n. vii tunc solum esse certum quod aliqua, una, aut altera lectio est de fide; incertum vero quænam sit determinate, quia Ecclesia id nondum definiit, sed in corde Ecclesiæ est principium ut veritas decernatur. Sed hoc non caret inconvenienti, quia Ecclesia totam Scripturam cum omnibus suis partibus tamquam de fide proponit visibiliter; ergo si possumus dicere quod prout habetur in libro non est nobis certum quod sit de fide, non omnia illius libri vulgatæ editionis teneor accepisse tamquam de fide; præsertim quia declaratio cardinalium supra relata præcipit ut nec una dictio, aut iota unum repugnet editioni vulgatæ.

LXI. Respondetur ergo, quod ubi sunt illæ variæ lectiones probabiles Ecclesia proponit in illis Scripturam

disjunctive, quia certum est in illis contineri veram, et authenticam Scripturam vulgatam, non tamen determinate, sufficit enim quod non admittamus aliquid repugnans vulgatæ, sed habeamus vulgatam pro authentica; non est autem inconveniens quod in aliquibus locis propter varietatem lectionum ipsa vulgata proponatur nobis disjunctive, et non determinate, et si determinate constet in illa disjunctiva esse vulgatam, et ita quoad aliquod proponitur nobis illa regula fidei certo, et determinate visibiliter, quoad aliquid nondum determinatur visibiliter, sed solum in corde Ecclesiæ sunt principia ad id determinandum. Proponitur enim illa disjunctiva lectionum determinate esse Scripturam, sed non proponitur quænam ex disjunctivis sit determinate correctior. Hoc autem in paucissimis locis contingit, et in rebus parvi momenti: nam quando non est aliqua magna difficultas in lectione correctæ, et magna probabilitas in opposita, semper ea quæ est correctæ, et per Ecclesiam proposita retinenda est, et alia rejicienda. Imo existente probabilitate lectionum in ipso gradu probabilitatis correctæ lectio præferenda est. Unde Clemens VIII in suo brevi supra citato tandem permittit varias lectiones Scripturæ vulgatæ notare, non tamen in margine bibliæ, et alio genere characteris. Et denique in officiis Ecclesiæ repertæ sunt multæ ex lectionibus antiquissimis, ut in missis, quod signum est eas in singulari non esse reprobatas, quod etiam sentit Torres 2-2, disp. xxxii, cap. v. Ad secundam et tertiam rationem dubitandi, constat ex dictis, quod correctio Sixti, et Clementis collective, et si non sit definita, est tamen proposita judici Ecclesiæ, et ideo esset temerarium ad minus aliam præferre, licet divisive

in uno, vel altero loco aliqua altera lectio probabilitatem habeat, et quod possit vitari aliquid ex injuria typographiæ, aut scriptorum non obstat veritati Scripturæ, nam Ecclesia habet unde præsto emendare possit, et hoc quod est esse subjectum talibus erratis, aut vitiis est juxta naturam talium librorum, nec oppositum sine magno, et continuo miraculo contingere potest. Hoc ergo non officit auctoritati vulgatæ.

ARTICULUS II.

Utrum in canonizatione, et beatificatione sanctorum summus pontifex errare possit?

I. Primo supponendum est, quid importet canonizatio, quid beatificatio. Pro quo sciendum est, quod canonizatio importat decretum aliquod, seu judicium, aut testimonium tantæ auctoritatis, quod tamquam regula, et canon ab Ecclesia proponatur circa sanctitatem, et gloriam alicujus personæ. Itaque tres effectus operatur canonizatio. Primus est, determinare, et decernere, quod aliqua persona sit beata, et gloria Dei perfruatur: secundus, declarare et proponere illum Ecclesiæ tamquam sanctum per modum exempli imitandi: tertius, proponere illum Ecclesiæ, ut colendum cultu publico, et solemniori. Et dico publico, non quia solum fiat coram multis, sed quia fiat publica auctoritate ipsius Ecclesiæ, et non solum privata. Ita colligitur ex glossa Innocentii, et capite primo De reliquiis, et veneratione sanctorum, ut docet Sylvester, verbo canonizatio, et alii Summistæ, et cardinalis Thuscus, verbo canonizatio, conclusionem xli, ubi ex abbate in capite primo De reliquiis citato inquit, quod proprie canonizare est ali-

quem per summum pontificem catalogo sanctorum adscribere, ut habeatur pro sancto. Et ex forma qui solent pontifices canonizationem facere, quæ videri potest apud Bzovium in libro Romanus pontifex, cap. xxxii, et etiam sumitur ex variis extravagantibus Romanorum pontificum, ut ex bulla canonizationis S. Francisci de Paula apud Surium die 2 aprilis, et habetur tomo primo bullarii, bulla xxxviii Leonis X, ubi per modum definitionis determinatur, et definitur S. Franciscum de Paula inter sanctos jam acceptum, et sanctorum catalogo adscribendum fore, et tamquam sanctum colendum: idque similiter in aliis bullis canonizationum videre est, ubi illi tres effectus expresse definiuntur, scilicet illam personam esse jam in gloria, et pro sancto habendum, ut ejus exempla imitemur, et denique tamquam sanctum colendum.

II. Ad hanc autem canonizationem solet præcedere quasi duplex dispositio, qua paulatim aliquis cultu aliquo incipit coli, et venerari, scilicet beatificatio, et elevatio. Est autem beatificatio juxta cardinalem Thuscum citatum canonizatio particularis in uno loco, ut dicunt doctores ex tolerantia sedis apostolicæ. Unde aliqui moderni solent disputare, an beatificatio, et canonizatio conveniant in hoc quod utraque sit judicium Ecclesiæ de beatitudine alicujus hominis; an vero specie differant in eo quod una sit judicium, altera solum permissio, seu concessio. Et mihi probabilius videtur id quod sentit Thuscus (quod ex aliquibus modernis docet 2-2 Torres disp. xvii, dub. iii) scilicet beatificationem non esse judicium ipsius pontificis saltem ut caput Ecclesiæ, quidquid sit an ita judicet, ut particularis doctor, sed esse judicium congregationis cardinalium ad id